

525 Plura locuturum timido Peneia cursu  
526 fugit cumque ipso verba imperfecta reliquit,  
527 tum quoque visa decens. Nudabant corpora venti,  
528 obviaque adversas vibrabant flamina vestes,  
529 et levis impulsos retro dabat aura capillos;  
530 aucta fuga forma est. Sed enim non sustinet ultra  
531 perdere blanditias iuvenis deus, utque monebat  
532 ipse Amor, admisso sequitur vestigia passu.  
533 Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo  
534 vidit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem,  
535 alter inhaesuro similis iam iamque tenere  
536 sperat et extento stringit vestigia rostro,  
537 alter in ambiguo est an sit comprehensus et ipsis  
538 morsibus eripitur tangentiaque ora relinquit;  
539 sic deus et virgo est, hic spe celer, illa timore.

*Ovidius, Metamorphoses 1.497-539*

## Tekst 2

---

*Uit de brief van Paris aan Helena*

163 Da modo te, quae sit Paridis constantia nosces:  
164       flamma rogi flammas finiet una meas.  
165 Praeposui regnis ego te, quae maxima quondam  
166       pollicita est nobis nupta sororque Iovis,  
167       dumque tuo possem circumdare bracchia collo,  
168       contempta est virtus Pallade dante mihi.  
169 Nec piget aut umquam stulte legisse videbor:  
170       permanet in voto mens mea firma suo.  
171 Spem modo ne nostram fieri patiare caducam  
172       deprecor, o tanto digna labore peti.

173 Non ego coniugium generosae degener opto,  
174       nec mea, crede mihi, turpiter uxor eris.  
175 Pliada, si quaeres, in nostra gente Iovemque  
176       invenies, medios ut taceamus avos.  
177 Regna parens Asiae, qua nulla beatior ora est,  
178       finibus immensis vix obeunda tenet.  
179 Innumeris urbes atque aurea tecta videbis  
180       quaeque suos dicas templa decere deos.  
181 Ilion aspicies firmataque turribus altis  
182       moenia Phoebeae structa canore lyrae.  
183 Quid tibi de turba narrem numeroque virorum?  
184       Vix populum tellus sustinet illa suum.  
185 Occurrent denso tibi Troades agmine matres,  
186       nec capient Phrygias atria nostra nurus.  
187 O quotiens dices "Quam pauper Achaia nostra est"!  
188       Una domus quaevis urbis habebit opes.  
189 Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere vestram:  
190       in qua tu nata es, terra beata mihi est.  
191 Parca sed est Sparte, tu cultu divite digna;  
192       ad talem formam non facit iste locus.  
193 Hanc faciem largis sine fine paratibus uti  
194       deliciisque decet luxuriare novis.  
195 Cum videas cultus nostra de gente virorum,  
196       qualem Dardanias credis habere nurus?  
  
197 Da modo te facilem nec dignare maritum  
198       rure Therapnaeo nata puella Phrygem.  
199 Phryx erat et nostro genitus de sanguine, qui nunc  
200       cum dis potando nectare miscet aquas;  
201 Phryx erat Aurorae coniunx, tamen abstulit illum  
202       extremum noctis quae dea finit iter;  
203 Phryx etiam Anchises, volucrum cui mater Amorum  
204       gaudet in Idaeis concubuisse iugis.

205 Nec, puto, collatis forma Menelaus et armis  
206 iudice te nobis anteferendus erit.  
207 Non dabimus certe sacerum tibi clara fugantem  
208 lumina, qui trepidos a dape vertat equos;  
209 nec Priamo pater est saceri de caede cruentus  
210 et qui Myrtoas crimine signat aquas;  
211 nec proavo Stygia nostro captantur in unda  
212 poma nec in mediis quaeritur umor aquis.

*Ovidius, Heroides 16.163-212*